

saria. — Dico tertio: materia legis veteris comprehendebat omnes actus externos necessarios ad honestatem morum, tam naturalem quam ceremoniam seu religiosam, quam etiam politicam seu civilem. Hæc assertio manifesta est ex dictis capite præcedenti de triplici ordine præceptorum, per quæ tres partes hujus materiæ præcipue distinguuntur: posita autem nunc est, ut amplitudo illius materiæ, et numerus vel ordo præceptorum sub singulis membris contentorum magis explicetur. Advertendum ergo est materiam aliqujus præcepti duobus modis posse esse necessariam ad honestatem morum. Primo, secundum se et prout præintelligitur ad præceptum. Secundo, ut consequens ad præceptum ejusque obligationem. In assertionem igitur indifferenter seu generatim sumitur hæc materia: nam utramque materiam seu actus ad illam pertinentes lex illa comprehendebat. Diverso tamen modo: nam lex illa, secundum moralia præcepta, versabatur in materia per se necessaria ad honestatem morum: unde quoad hanc partem materia illa non erat propria legis veteris, sed quasi accepta vel mutuata a lege naturali. Præcepta autem ceremonialia et judicialia ex genere suo versabantur in materia non necessaria de se; per ipsa autem præcepta fiebat necessaria ad morum honestatem. Unde, generalius loquendo, possent omnia illa præcepta vocari moralia, quia revera rectitudinem moralem constituebant; tamen per antonomasiam usurpatum est nomen præceptorum moralium ad illa quæ ex natura sua talia sunt significanda.

19. *Dubium.* — *Responsio.* — *Non repugnat legem divinam positivam versari circa materiam ab eodem Deo præceptam per legem naturalem.* — Circa priorem ergo materiam inquiri potest quid necesse fuerit de operibus illis dari divinam legem positivam, cum naturalis lex ad illa obliget. Imo videtur esse repugnantia quod lex divina positiva sit in tali materia, cum de eadem data sit lex naturalis, quæ divina etiam est. Accedit quod lex circa talem materiam datur a Deo, prout est auctor naturæ; hæc vero lex est a Deo, ut auctore gratiæ, ut supra diximus. Sed nihilominus negari non potest quin lex vetus, ut a Deo data est, præcipue comprehendat totam materiam legis naturalis; id enim manifeste constat ex Exod., 20 et 31, et Deuteronom., 9; et ex Paulo ad Romanos, 2, usque ad 7; et explicat late D. Thomas, dicta quæst. 99, art. 2, et quæst. 100, art. 1 et sequentibus. Ratio

autem seu necessitas fuit, quia ratio humana valde erat obscurata per peccatum, etiam circa moralia et naturalia præcepta, et ideo ait D. Thomas: *Oportuit homini in hoc subveniri per auctoritatem legis divinæ, sicut per doctrinam et revelationem fidei subvenitur homini, non tantum in his quæ rationem superant, sed etiam in his quæ de Deo naturaliter cognosci possunt*, ad excludendum rationis humanæ errorem, qui accidebat in multis. Sic ergo non repugnat legem divinam positivam versari circa materiam ab eodem Deo præceptam per legem naturæ, quia ignorantia humana induxit necessitatem talis positivæ legis, sive illa quoad partem dicatur tantum declarativa, sive etiam novæ obligationis inductiva, quod postea videbimus. Et eadem ratione constat, potuisse Deum, etiam ut auctorem gratiæ, legem ferre in tali materia, tum quia ferebat illam in ordine ad finem supernaturalem, quia non potest supernaturalis rectitudo sine naturali subsistere; tum etiam quia, ut auctor gratiæ, adjuvat etiam naturam, sicut et naturalia revelat, et auxilium præbet ad bene operandum moraliter etiam intra naturæ ordinem, ut in tractatu de Gratia dicemus.

20. *Dubium.* — *Responsio.* — Potest vero etiam, e contrario, interrogari an lex illa secundum præcepta moralia tantum in materia naturali, id est, per se necessaria ad honestatem versetur; et ratio dubitandi esse potest, quia tertium præceptum de sanctificatione sabbati, positivum fuit in illa lege, et tamen ponitur inter moralia, quia ponitur in Decalogo. Idem videtur esse de primo præcepto, quoad illam partem: *Non facies tibi sculptile*, nam positivum fuit in illa lege, et ideo cessavit, ut sentit D. Thomas, quæst. 100, art. 3. Dicendum nihilominus est præcepta positiva non pertinuisse ad moralia, sed ad ceremonialia, vel ad judicialia, quod ex ratione sufficientiæ supra datæ patet, et quia alias omnia præcepta essent dicenda moralia, quia sub generali appellatione omnia erant de moribus hominum, et observatio omnium erat necessaria ad honestatem morum, supposita illa lege. Et si semel admittatur aliquod præceptum positivum sub illo membro, eadem ratio erit de reliquis omnibus. Igitur illa tantum quæ per se bona sunt, et necessaria ad honestatem naturalem vel infusam, dicuntur moralia.

21. *Distinctio divi Thomæ de præceptis moralibus.* — Hæc autem sic distinguuntur a

D. Thoma: nam quædam (inquit) adeo sunt per se nota et generalia, ut sine ullo discursu ab omnibus sciatur per lumen naturæ aut fidei; quædam sunt conclusiones proximæ quæ facili discursu ex illis principiis colliguntur; alia sunt ut conclusiones remotæ quæ majori sapientia indigent ut cognoscantur. Prima dicuntur præambula ad Decalogum, postrema illationes, seu corollaria ex illo. Media vero dicuntur proprie et formaliter præcepta Decalogi, ut constat ex Deuteronom., 4, ubi dicuntur decem verba; tamen virtute continent multa alia, vel antecedenter, vel consequenter, ut dixi, et late exponit divus Thomas, tota fere q. 100. Circa quam quæstionem solent ab expositoribus disputari fere illa omnia quæ nos supra, libro secundo de lege naturali, disseruimus, quia ad illum locum proprie pertinebant, et hic repetenda non sunt. De obligatione autem illorum præceptorum, ut specialiter in lege veteri data sunt, dicam in capite sexto.

22. *Differentia inter doctores notanda.* — *De ordine Decalogi.* — Ut autem satisfaciamus rationi dubitandi, oportet advertere differentiam esse inter auctores. Nam multi distinguunt quatuor præcepta erga Deum, et sex tantum erga proximum, confundentes duo ultima in unum negativum: *Non concupisces*; et hoc supponit Hieronymus ad Ephes., 6, cum ait præceptum honorandi parentes esse quintum Decalogi. Numeratio autem quatuor priorum præceptorum non uno modo fit. Nam Origenes, homil. 8. in Exod., quem sequitur Burgen., distinguit primum in duo negativa: *Non habebis deos alienos*, et *Non facies tibi sculptile*; Hieronymus autem, Osee 40, quem sequitur Rupertus, libro tertio in Exod., capit. 32, distinguunt aliter illud primum in duo: unum, scilicet, affirmativum: *Ego sum Dominus Deus tuus*; et aliud negativum, comprehendens illa duo, quæ distinguit Origenes; Hesich. autem, Levit. 26, ut refert D. Thomas, q. 100, art. 4, conjungendo dictas opiniones, distinguit primum præceptum in tria, unum affirmativum, et duo negativa, et consequenter excludit a Decalogo tertium præceptum de observatione sabbati, quia positivum est. Et ita respondet priori parti rationis dubitandi, non tamen satisfacit posteriori.

23. *Quid de dictis sententiis sentiendum.* — Unde nulla ex his sententiis satisfacit omnibus difficultatibus occurrentibus: et imprimis tertia non consequenter loquitur: nam eadem

ratione excludere deberet a Decalogo aliud negativum: *Non facies tibi sculptile*; nam quatenus distingui posset ab alio: *Non habebis deos alienos*, positivum est et ceremoniale, ut notavit divus Thomas, dicta quæstion., art. 7, ad 2. Et præterea tertium præceptum de sanctificatione sabbati tam expresse dicitur in Exod., 20, fuisse scriptum in tabulis, ut non possit absolute rejici a Decalogo; et deinde contra dictas opiniones obstat, quia duo ultima præcepta in secunda tabula ut distincta ponuntur, et habent materias diversarum rationum et virtutum.

24. Et ideo prævaluit opinio Augustini, lib. de Decem chord., c. 8, et per totum, et q. 71 in Exod., quem sequitur D. Thomas in præsentem, et 2. 2, quæstione 122, et communiter scholastici, et fere a tota Ecclesia recepta est, quæ distinguit septem præcepta erga proximum, et consequenter tria tantum erga Deum. Nam in primo, verba illa, *Ego sum Dominus Deus tuus*, non sunt præceptiva, sed præsuppositiva, ut sic dicam, potestatis Dei ad ferendam legem: et deinde si aliquod præceptum continent, est de unitate Dei, quod includit negationem plurium deorum, quam explicant alia verba: *Non habebis deos alienos*; illa vero: *Non facies tibi sculptile*, si intelligantur de prohibitione idoli ad hunc finem ut colatur pro Deo, non distinguitur a priori negatione, et ita est præceptum morale, ut exposuit D. Thomas, art. 4. Si autem exponantur de absoluta prohibitione imaginum Dei, est ceremoniale, et non morale, ut D. Thomas exposuit, et reducitur ad primum præceptum, ut circumstantia ejus. Similiter dicendum est de tertio; quatenus enim præcipit ut aliquod tempus cultui Dei dicatur, naturale est et morale; quatenus vero determinabat talem diem, fuit ceremoniale, et cessavit, ut exposuit divus Thomas, eadem quæstione, art. 3, ad 2. Unde concluditur, in Decalogo, prout scriptum fuit in lapidibus, aliquid ceremoniale fuisse admixtum; non vero sequitur præceptum aliquod positivum ad moralia pertinere. Cur autem in illo tertio præcepto specialiter fuerit aliquid figurale additum, tractat Augustinus, libro de Ritibus ecclesiasticis, cap. 11 et 12, alias Epistola 149 ad Januar.; et rationem mysticam reddit, scilicet, per sabbatum significari æternam requiem, et tertium illud præceptum Spiritui sancto attribui, qui est amor, et ideo, ad excitandum amorem, quo ad requiem tendimus, factam esse in illo tertio præcepto sabbati commemorationem.

25. *Aliud membrum exponitur.* — *Materia ceremonialis quatuor complectebatur.* — *Holocaustum quid.* — *Hostia pacifica.* — *Sacrificium pro peccato.* — Circa aliud membrum de materia illius legis, solum necessaria quia præcepta, dictum est in superioribus duas habuisse partes: aliam ad Deum, aliam ad homines pertinentem: quoad utramque ergo partem fuit lex illa et copiose et sufficientissime tradita, quod breviter in singulis comprehendendi potest, ex iis quæ D. Thomas in prædictis quæstionibus latissime tradidit. Et imprimis materia ceremonialis, seu ad Deum pertinens, quatuor capita complectebatur. Primum continet præcepta sacramentorum, inter quæ primum erat circumcisionis, quia ante legem inceptit, et in ea tanquam ejus janua et professio retenta est; alia vero fuerunt in ipsa addita, ut agni paschalis, consecrationis pontificis, etc., de quibus ex professo tractatur in 3 tomo tertiæ partis, tam disputando de Sacramentis in genere, quam de Baptismo et circumcisione in particulari. Secundum caput est de Sacrificiis, quæ, ex parte rerum materialium quæ offerebantur, erant multiplicia. Formalis vero distinctio illorum ex fine sumenda est: nam quoddam erat *holocaustum*, in recognitionem divinæ majestatis. Aliud dicebatur *hostia pacifica*, quæ ad impetrandum nova beneficia, vel ad agendas gratias pro jam susceptis maectabatur. Aliud denique dicebatur *sacrificium pro peccato*, quia in ejus expiationem et satisfactionem aliquam immolabatur, de quo toto genere sacrificiorum, quomodo omnes illæ rationes in uno sacrificio Eucharistiæ contineantur, disputatur eodem tomo 3, ad finem. Et præterea de illis sacrificiis, ultra D. Thomam hic, et Origenem, Abulens. et alios in Leviticum, et Philonem, lib. de Sacrificiis, videri potest Riber., tract. de Templ., lib. 4, et Azor, tom. 1, lib. 6, a cap. 25, per plura. Tertium caput continet sacra, id est, templum, altare, et omnia vasa ad divinum cultum instituta, de quibus omnibus late Riber. in dicto tract., lib. 1 et 2; et ad eum ordinem pertinent festivitates et sabbata, de quibus idem auctor, lib. 5, et breviter comprehendit Tolet. in c. 7 in Joan.; et Azor, supra, cap. 31 et sequentibus. Solum adverto in littera D. Thomæ, q. 102, art. 4, ad 6, haberi, Propitiatorium fuisse lapideam tabulam. Existimo tamen errorem irrepsisse in textu. Nam constat, Exod. 25, fuisse tabulam auream, quod D. Thomas non ignoravit, sed id scripsit ad Hebr. 9, lect. 2. Quartum

caput continet observantias peculiare illius populi, ut erant specialia jejunia, cibi prohibiti, et similia, de quibus videri potest supra, art. 6.

26. *Materia judicialis alia quatuor continebat.* — *Præcepta legis veteris fuisse sexcenta et tredecim.* — Simili modo, altera pars illius materiæ, quæ judicialis, vel quasi politica dici potest, ad quatuor etiam capita revocatur ex D. Thoma supra, et fere tota quæst. 104. Quædam enim leges constituiebant ordinem servandum inter principem et populum ad invicem. Aliæ statuiebant de moribus totius populi et singulorum membrorum ejus, tam in ordine ad communitatem quam inter se, ut in judiciis, contractibus, etc. Aliæ dabantur de rebus servandis in singulis familiis, ut inter dominos et servos, parentes et filios, virum et uxorem, et huc spectabant leges matrimonii, quod tunc erat contractus humanus, et non Sacramentum proprie dictum, et ideo præcepta ad illud spectantia inter judicialia numerantur. Denique ultimum caput continebat leges pertinentes ad extraneos, id est, ad hospites, seu peregrinos, et huc spectabant leges de bello ferendo aut vitando cum cæteris exteris nationibus, de conjugiiis vel aliis contractibus cum eis ineundis, de quibus videri potest Azor, supra, a cap. 4. Unde factum est ut præcepta illius legis in magno numero multiplicata fuerint, fuisse enim sexcenta et tredecim dixit Guilielm. Parisi., lib. de Fide, et leg.; et sequitur Abul. Deut. 27, q. 1, et Burgen. in scrut., 1 p., d. 8, c. 9; Galatin. autem aliter illa numerat, quod nunc expendere necessarium non est.

27. *Materia legis veteris quedam tantum de consilio comprehendebat.* — Dico quarto: materia legis veteris, generaliter sumpta, aliqua comprehendebat quæ non cadebant sub riguroso præcepto, sed sub consilio. Ad intelligendam hanc assertionem, supponendum est nomen legis, collective sumptum, significare in rigore collectionem præceptorum ad aliquem statum, seu communitatem pertinentium; interdum vero latius sumi, ut comprehendat totam aliquam vivendi rationem, in qua multa alia præter præcepta continentur, ut lex evangelica absolute dicta comprehendere dicitur consilia evangelica et sacramenta omnia, quamvis non de omnibus præcepta divina data sint: loquendo ergo hoc posteriori modo de lege veteri, dicimus ejus materiam extendi etiam ad aliqua consilia. Et videtur posse sumi ex illo Deut.: *Ama Dominum Deum*

tuum, et observa præcepta ejus, et caeremonias, judicia, atque mandata omni tempore; ubi per præcepta intelliguntur moralia, ut supra dixi, et adduntur illis mandata, præter caeremonias et judicia; ergo illa mandata non sunt præcepta moralia, caeremonialia, aut judicialia, quia ab omnibus distinguuntur; ergo sunt consilia. Patet consequentia, quia non potest cogitari medium inter illa duo, et quia vox *mandatum* interdum ita accipitur, ut notavi 1 tom. 3 part., disp. 43, sect. 1 et 3. Et huic expositioni et sententiæ videtur favere divus Thom. 1. 2, q. 99, art. 5; sentit enim ea vocari mandata in illa lege, *quæ erant præcepta, vel prohibita, non ut simpliciter debita, sed propter melius.* De quibus ait *vocari mandata, quia quamdam inductionem habent ac persuasionem;* et adducit Hieronymum, in Proœmio ad Marcum, distinguentem mandatum a præcepto. Unde cum div. Thomas prius dicit hæc eadem, quæ vocantur mandata, fuisse præcepta vel prohibita, late videtur uti iis verbis, quatenus includunt omnem inductionem et persuasionem, alioqui mandata confunderet cum præceptis in iisdem verbis, in quibus vult illa distinguere. Item, cum ait ea quæ mandantur tantum esse ad melius esse, intelligendum videtur non solum ante mandatum, sed etiam post illud, alioquin jam illud esset rigorosum præceptum caeremoniale vel judiciale; relinquatur ergo ut tale mandatum sit consilium.

28. *Perpenditur vis rationis propositæ.* — *Alia expositio.* — Sed licet hæc probatio probabilis sit, non tamen cogit, quia D. Thomas non persistit in illa expositione; addit enim per mandata posse intelligi, in loco Deuteronomii, non leges datas a Deo per seipsum, sed datas per homines: *Ut verbum ipsum,* inquit, *præ se fert.* Et ita in illo loco præcepta dicuntur tantum decem Decalogi, mandata vero alia moralia quæ per Moysem data vel explicata sunt. Quæ expositio est probabilis. Alia etiam esse potest, ut per mandata non intelligantur leges divinæ, sed præcepta quæ per homines, Dei ministros, dari continueret *omni tempore*, ut ibi dicitur, et annumerari potuerunt cum legibus Dei, quia lex ipsa præcipiebat obedire pontificibus et ministris Dei. Accedit quod vox *mandatum* nunquam proprie significat consilium, neque in hac significatione usurpata invenietur in Scriptura. Imo tota lex vocatur mandatum, Malach., 2, et tota lex vocatur lex mandatorum, ad Ephes., 2. Nec D. Hieronym., in citato loco,

distinguit mandatum a præcepto in illo sensu, quia in exemplum mandati affert verba CHRISTI: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem,* quod est rigorosum præceptum. Unde nomine mandati videtur intelligere præceptum affirmativum faciendi aliquid bonum, nomen vero præcepti accommodat ad negativum, *quale est, inquit, divertere a malo.*

29. *Conclusio proposita defenditur.* — Nihilominus conclusionem positam censeo veram, et satis consentaneam menti D. Thomæ. Postestque declarari et probari inductione quadam et accommodatione ad dicta tria membra præceptorum. Nam imprimis in illa lege fuerunt instituta aliqua sacrificia quæ non præcipiebantur, sed voluntarie offerebantur juxta illud Psalm. 118: *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine,* quod ita ibi interpretatur Chrysostomus; de illis ergo sacrificiis possumus dicere datum esse consilium, non præceptum. Deinde de votis dabantur consilia in illa lege, juxta illud Psal.: *Vovete, et reddite;* nam licet secunda pars contineat præceptum naturale, prior continet consilium. Quod generatim sumptum potest dici consilium morale, tamen ex parte materiæ poterat esse caeremoniale, quia etiam consulebantur vota de aliquibus sacrificiis vel oblationibus voluntariis illius legis, quæ *dona* dicebantur; multa etiam in illa lege disponebantur circa observationem vel commutationem votorum, quæ proprie erant caeremonialia, et interdum continebant præceptum, aliquando vero permissionem, seu concessionem, vel etiam consilium. Denique id quod D. Thomas supra affert ex 22 Exodi: *Si pignus acceperis vestimentum a proximo tuo, ante solis occasum reddes ei,* videtur non fuisse rigorosum præceptum, sed monitionem aut inductionem, nisi in casu in quo vestimentum esset proximo omnino necessarium; tunc enim videtur fuisse charitatis præceptum in ipsa lege significatum; extra illum ergo casum erat consilium, ut D. Thomas indicat, potestque dici consilium judiciale. Atque ad hunc modum poterunt in illa lege alia consilia intelligi et explicari, juxta exigentiam materiæ et verborum.

30. *Dubium solvitur.* — Hic vero occurbat iterum difficultas de imperfectione illius legis; nam amplecti et suadere non tantum præcepta, sed etiam consilia, videtur illius legis imperfectionem superare. Sed quia de modo imperfectionis illius legis dicturi sumus infra, respondeo breviter consilium absolute

dictum latius patere, quam consilium perfectionis, quod ad statum perfectionis constituendum ordinatur. In illa ergo lege non fuerunt data nec explicata consilia perfectionis; hoc enim imperfectionem ejus superabat; nam si fortasse aliqui statum perfectionis professi sunt, illud non fuit ex doctrina legis, sed ex divino instinctu. At vero inducere ad aliqua consilia, quæ in communi hominum vita et statu exerceri possunt, non excedebat perfectionem illius legis, imo erat illi consentaneum, ut ostensum est.

CAPUT V.

UTRUM LEX VETUS CONVENIENTI MODO, TEMPORE ET ALIIS CIRCUMSTANTIIS DATA FUERIT.

1. *De aliis circumstantiis legis veteris.* — Explicatis cæteris causis illius legis, superest dicendum de forma servata in illa lege tradenda, quæ res, quantum ad scholasticum negotium spectat, facilis est. Quia forma legis (ut sæpe in hoc opere notatum est) dicitur externum signum, quo voluntas seu mens legislatoris manifestatur. Unde hic non agimus de actu ipso interno in Deo existente, qui est veluti substantialis lex, et quasi forma et anima signi externi: nam de illo actu eadem est ratio in hac lege, quæ in omni alia, servata proportione, ideoque applicanda est doctrina tradita in lib. 1 de Lege in communi. Agimus ergo de lege externa et sensibili, per quam populo Israelitico innotuit interna mens et voluntas Dei. Diximus autem in superioribus duo principaliter requiri in hac forma legis, scilicet, significationem externam aliquo sensibili signo factam, et publicam promulgationem cum convenienti solemnitate toti communitati factam; utrumque ergo in forma illius legis servatum est; nam licet esset divina ex parte auctoris, dici potest humana ex parte recipientium, et ideo humano modo, seu hominibus accommodato, dari necessarium fuit; et ideo utrumque a nobis explicandum est, simulque circumstantias in illa lege tradenda servatas, quatenus ad solemnitatem illius formæ pertinent, declarabimus.

2. *Forma illius legis quæ.* — Circa primum, dicendum est formam illius legis fuisse verbum sensibile ipsiusmet Dei, hominibus sufficienter significans ipsius voluntatem. Hoc constat Exodi 20: *Locutusque Dominus est cunctos sermones hos*; et infra: *Cunctus au-*

tem populus videbat voces. Ubi verbum videndi, ut notat Augustinus, quæstion. 72 in Exod., generaliter sumitur prout de quocumque sensu dici solet, vel etiam prout ad mentem et intelligentiam traducitur; et ita sensus erat, *videbat voces*, id est, intelligebat quid per vocem Dei significaretur. Illud autem dictum est de lege quoad Decalogum, de cæteris vero præceptis subditur: *Dixit præterea Dominus ad Moysen*; et sæpe repetuntur illa verba: *Locutus est Dominus ad Moysen.* Neque refert quod illa verba effective formarentur immediate ab Angelo in aere, vel in Moysi sensibus, quia nihilominus verba illa erant dictata a Deo ipsi Angelo, et ita erant a Deo, ut a propria causa principali. Et eadem ratione non solum data est illa lex Moysi per proprium Dei verbum, sed etiam ab ipso Moysese data est populo, ipsomet Deo verba legis dictante: sicut enim Moyses illam scripsit, ita etiam verba protulit; scripsit autem illam legem ut canonicus scriptor, dictante Spiritu sancto, ut de fide constat; ita ergo illam etiam protulit. Unde Exod. 24 dicitur: *Venit ergo Moyses, et narravit populo omnia verba Domini, atque judicia, responditque omnis populus una voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus*; et statim additur: *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini*; ubi significatur, prius dixisse, et postea scripsisse legem, fortasse tamen illud prius per anticipationem dictum est: nam paulo post subditur: *Assumensque volumen fœderis, legit audiente populo, qui dixerunt: omnia quæ locutus est Dominus, faciemus.* Et Paulus ad Hebr., 9, dixit: *Lecto enim omni mandato legis a Moysese universo populo, accipiens sanguinem, etc.*, ubi Riber. merito reprehendit Erasm., quod pro dictione *lecto* posuerit *dicto*: nam licet revera dixerit, tamen ex libro dixit, ut verba Exodi ostendunt. Fieri autem potuit ut prius verbo retulit quæ acceperat, et postea ea scripserit, ac deinde iterum legerit audiente populo, quod incertum est; et verisimilius apparet, prius legem scripsisse, et postea ex scripto legisse. Utcumque tamen sit, semper verbis Dei et Spiritus sancti dictatis locutus est.

3. *Objectio.* — Dices: Quid ergo est quod Paulus, ad Hebr. 2, legem illam minus perfectam esse ostendit, eo quod sit sermo per Angelos dictus: nam si sermo ille erat sermo ipsiusmet Dei, non variat neque minuit dignitatem verbi, quod per Angelum vel hominem, sive etiam per ipsum Deum proferatur,

ut in simili dixit Gregorius, lib. 1 Moral., cap. 1. Respondetur, quoad verbi certitudinem et infallibilitatem, et quoad legis auctoritatem, non referre quod per hunc vel illum ministrum proferatur; et in hoc sensu pertinere ad magnam illius legis dignitatem, quod per verbum Dei suam voluntatem manifestantis formaliter (ut sic dicam) constituta sit. Nihilominus tamen, ad majorem quamdam sermonis excellentiam accidentalem pertinere potest persona ministri immediate loquentis, vel quia ex proxima habitudine ad illum habet quamdam dignitatem moralem, propter quam majorem reverentiam meretur, quomodo Evangelii verba a CHRISTO prolata majori reverentia audiuntur; vel quia solet rex graviores leges per ministros majoris auctoritatis proponere; et hoc modo lex vetus, licet fuerit verbum Dei, in hoc ipso minore dignitatem habet quam lex gratiæ, ut postea videbimus.

4. *Differentia inter præcepta Decalogi et alia.* — Interrogabis ulterius quale fuerit illud verbum Dei, an prolatum, vel scriptum. Respondeo jam ex dictis constare utrumque intervenisse; nam lex Decalogi prius voce prolata est, Exodi 20; et postea digito Dei scripta est in tabulis, Exodi 24, 31 et 32; de cæteris autem præceptis jam declaratum est: unde, si quaeratur an utrumque signum, vel alterum tantum, fuerit de substantia illius legis, respondeo breviter quodlibet illorum per se fuisse sufficiens, concurrentibus aliis requisitis, et attenta communi ratione legis supra tradita. Ex dispositione autem divina videtur fuisse necessaria scriptura ad substantiam et obligationem illius legis, saltem in duratura erat in tota posteritate illius populi, *donec veniret semen*, ut Paulus ait: nam ille populus non tenebatur leges alias observare ut divinas, et a Deo expresse traditas, nisi quæ scriptæ erant, juxta illud Deuter., 4: *Non ad delis ad verbum quod vobis loquor, neque auferetis ea eo: custodite mandata Domini Dei vestri*; et ideo sæpe Deus præcipit legem illam scribi, Exodi 34, et Deuteron. 27, 28; et per antonomasiam lex scripta vocatur, ut sumitur ex Deuter. 30 et 31. Nihilominus tamen fieri potuit ut populus ille, qui aderat editioni legis, statim illa obligaretur ante scripturam, sicut obligabantur lege circumcissionis ante scripturam ejus. In quo potest notari differentia inter præcepta Decalogi et alia: nam Decalogus, priusquam scriberetur, voce Dei sufficienter propositus

est, et ideo sine dubio statim obligavit, non tantum ut erat lex naturalis ratione fundata, sed etiam ut erat lex specialiter a Deo data, quæ, hoc solo titulo, obligaret etiam eos qui rationem talium præceptorum ignorent. Alia vero præcepta, licet Moysi per sermonem tradita fuerint, populo non fuere proposita, nisi ex scripto, ut diximus; et ideo, antequam scriberentur, non habuerunt plenam et consummatam rationem legis.

5. *De ordine et numero Decalogi in tabulis scripti.* — *Prima sententia.* — *Secunda opinio præferenda.* — Denique circa hanc formam, quatenus per voces edita est, nihil adnotandum occurrit, præter superius dicta de ministerio hominis vel Angeli in illis verbis formandis. Quatenus vero scripta est, sufficit etiam dicere consulendam esse veterem scripturam, præsertim in Exodo, Levit. et Deuter.; nam in illis tota forma illius legis et singulorum præceptorum ejus latissime describitur, præsertim quæ ad cæremonialia et judicialia spectant, et ideo solum oportet verba Scripturæ expendere: nam illius sensu substantia illius legis consistit. Quoniam vero de præceptis Decalogi specialiter dicitur fuisse in duabus tabulis lapideis scripta, et Scriptura non declarat quomodo fuerint distributa, ideo aliquid de hoc dicere necessarium est; nam ad formam illius legis aliquo modo spectat. Aliqui ergo dixerunt in singulis earum fuisse quinque præcepta scripta. Quod tradit Joseph., 3 Antiquit., c. 6, et Philo, lib. Decalog., et Hugo Cardinal., Exod. 20, et sequitur Sot., lib. 2 de Justit., quæst. 3, art. 4. Alii vero putant in una tabula fuisse tantum præcepta pertinentia ad Deum, in alia vero pertinentia ad proximum. Quod sentit Augustinus, quæst. 71 in Exod., et quæst. 7 in lib. Quæst. utriusque testamenti, et lib. de Decem chordis, cap. 6; et hoc sequitur Abulens. in cap. 20 Exod., q. 2; et Burgen., in cap. 32 Exodi, addit. 4. Inter quas sententias difficile est ferre iudicium, quia auctores harum opinionum non viderunt tabulas scriptas, ut possint de illis ferre testimonium. Et scriptura non explicat modum partitionis, nec firma ratione aut traditione certa ostendi potest. Si tamen conjectura utendum est, posterior est præferenda, quia decuit ut præcepta ad Deum pertinentia separatim et in prima tabula traderentur; et ita usus obtinuit ut illa dicantur præcepta primæ tabulæ, et alia secundæ, ut patet ex D. Thoma, quæst. 100,